

213.



Disputatio XIII.

139.

DE VI P V B L I C A ET
priuata,

D. T. E. U. F.

P R A E S I D E,

C L A R I S S I M O,

ET C O N S V L T I S S I M O V I R O,

D N. H E N R I C O B O C E R O, V. I. D.

*eminentissimo, & in illustri Academia Tubingensi Professore
celeberrimo, Domino Praeceptore suo
honorando:*

ORDINARII EXERCITII GRATIA,
tempore, locoq; solitis, pro ingenij tenuitate de-
fendere conabitur

BALTHASAR A FRANCKENBERGK,
Silesius.



T V B I N G A,
Typis Georgij Gruppenbachij,

M. D. XCVIII.

Pp

Diplomatio XIII

JOHANNES DANIEL BÄRTEL

DE P. F. U. S. A.

DE P. F. U. S. A.

OLIVARIUS SIMON

OLIVARIUS SIMON

OLIVARIUS SIMON

ORDINARIUS EXERCITII CRISTIANI

ORDINARIUS EXERCITII CRISTIANI

ALTHEIMANN A. E. A. M. O. C. K. E. N. B. E. R. G.



Typographus Georgi

M. D. C. C. C. C.



Disputatio XIII.

DE VI PUBLICA

& priuata.

THESIS I.

NVNC publicam vim & priuatam edifferemus. Publica vis à quibusdam (a) malè definitur ea, quæ fit armis, vel conuocatis hominibus sine armis. (b)

a) Cuiac. ad Iul. Paul. lib. 5. sententiar. Tit. 26. ad leg. Iul. de vi publ. & priuat. & Menoch. lib. 2. de arbitr. Iudic. Sentent. 4. casu 394. num. 8. (b) Nam & alio modo hæc vis committitur. leg. 3. §. item tenetur & §. sequent. lib. 5. in princ. vers. Quiq; hominem, & §. vlt. l. 6. l. 8. l. qui dolo 10. ff. ad L. Iul. de vi publ. & l. 2 ff. ad leg. Iul. de vi priuata. Et Vis priuata committi dicitur hominibus congregatis sine armis, l. si quis aliquem 5. ff. d. t. l. 4. vers. sed quoniam C. leg. Iul. de vi publ. vel priuat.

I I.

Peius verò definitur ab his, (a) qui aiunt, vim publicam esse, quæ armis committitur. (b)

a) Francis. Duar. lib. 1. disputat. cap. 22. Paulus Manut. in Comment. de legib. Romanis, & Hottomanus: in comment. Verbor. Iuris, in verb. vis & ad §. Sed ex constitut. Instit. de interdict. & ad §. Item lex Iulia, Inst. de publ. Iudic. Vuesen. in paratit. ff. ad leg. Iul. de vi publ. & Ioann. Gœdd. ad leg. armorum 41. num. 8. ff. de verb. signif. (b) Quandoq; enim vis publ. committitur sine armis d. l. 3. §. Item tenetur, & §. seq. l. 5. in princ. l. 6. l. 10. in princ. ff. ad l. Iul. de vi publ.

I I I.

Pessimè Iohannes Robertus (a) eam definit, quæ meditata atq; parata priùs est, quàm fieret. (b)

a) lib. 3. sentent. cap. 22. (b) Nam & priuata vis, hoc modo committi potest per l. 2. l. 4. l. si quis aliquem 5. ff. ad leg. Iul. de vi priuata & l. si criminis 4. & l. seq. C. ad l. Iul. de vi publ. & priuata. Menoch. dict. Casu 394. num. 7. & Iohan. Gœd. ad dict. l. armorum 41. num. 9. ff. de verb. signif.

I I I I.

Nos publicam vim definimus crimen publicum, (a) quo securitas publica turbatur. (b)

a) l. 1. ff. de pub. indic. (b) l. 1. l. 2. l. vlt. & toto tit. ff. ad leg. Iul. de vi pub



2 D I S P U T A T I O D E V I

Cuiac. in parat. C. eodem tit. vers. Nam ex diuerso, sed vide Iul. Paul. lib. 5. sen tent tit. 26. Qui longè aliter vim publicam definit.

V.

Circa hoc crimen duplex inspectio incurrit: Vna de modis, quibus vis publica committitur; altera de pœna huius criminis.

V I.

Committitur autem vis publica duobus modis; armis, (a) vel siue armis. (b)

a) *S. Qui autem aliquem, Instit. de interdicit. S. Item lex Iulia de vi, Instit. de publ. iudic. (b) d. l. vlt. cum similibus ff. ad leg. Iul. de vi publ.*

V I I.

Armorum appellatio generalis est, in duas discedens species; quarum vna continet ea, quæ manu in præsentem imprimuntur, vt gladij, hastæ, frameæ, scuta, galeæ &c. altera complectitur ea, quæ bombardæ, arca, vel manu mittuntur, siue iaculando proijciuntur, vt sunt spherulæ, sagittæ, lapides, glebæ, fustes, & alia, (a) quæ teli verbo significantur. (b)

a) *d. l. armorū 41. vbi Gædd. & alij ff. de verb. sign. l. 3. §. 2. ff. de vi & vi armata, l. armata. 9. ff. ad l. Iul. de vi pub. §. armorum autem appellatione Instit. de interdicit. (b) S. Item lex Cornelia, de sicarijs, vers. telam Instit. de pub. iudic. l. si caluitur 233. §. 2. ff. de verb. signif. & l. pen. §. 1. & vlt. ff. ad leg. Iul. de vi pub.*

V I I I.

Armis iure Iustiniano committitur vis publica dupliciter: Sola armorum detentione, & eorundem vsu violento.

I X.

Sola armorum detentione committit vim publ. qui arma vel tela domi suæ agroué in villa coacta habet, (a) qui item pubes cum telo in publico est (b) vel in concione, vel vbi iudicium publicum exercetur, (c) vel in palatijs principum. (d)

a) *l. 1. ff. ad leg. Iul. de vi pub. (b) l. 3. §. 1. ff. d. r. (c) l. Qui dolo 10. ff. eodem tit. Menoch. post alios dict. casu 394. num. 38. & seq. & num. 90. (d) tit. 27. de pace tenenda & eius violatoribus, §. ad palatium lib. 2. feudor. & l. 3. §. 1. ff. ad leg. Iul. de vi pub. Menoch. dict. casu 394. num. 44.*

X.

Qui ergò saltem gestat siue portat arma, in hoc crimen incurrit, (a) maximè si rusticus (b) fit, vel clericus. (c)

a) *Novel. 85, cap. 1. ibi, eos autem qui operantur arma, nulli vendere priuato, &*

to, & cap. 2. in fin. & cap. 3. & cap. 4. & facit maximè arg. d. l. 1. ff. h. t. (b) d. tit. 27. de pace tenenda & eius violatorib. §. Si quis rusticus lib. 2. feudor. Menoch. dict. casu 394. num. 28. & seqq. (c) per c. Clerici, Extra de vita & honestat. Cleric. Didac. Couar. lib. 2. var. resolut. cap. vlt. num. vlt. vers. pen. Menoch. dict. casu. 394. num. 31. & seqq.

X I.

Neque refert à publico iustitiæ ministro quis deprehensus fuerit, vel non fuerit deprehensus, dum arma gereret.

arg. l. 1. ff. ad leg. Iul. de vi publ. Menoch. dict. casu 394. num. 49. & 50. ubi respondet ad leg. si Barsatoram, C. de fideiuss.

X II.

Pertinent quoq; huc, qui noctis tempore sine armis inuenti sunt, propè eos tamen, puta ante pedes eorum, arma sunt reperta.

Post alios Menoch. dict. casu 394. num. 53. & seqq.

X III.

Cæterùm excipitur, qui in usum venationis, vel itineris, vel navigationis arma domi aut in villa possidet, (a) & qui promercij causa arma habet, vel ea ex hereditate accepit. (b)

a) dict. l. 1. ff. ad leg. Iul. de vi pub. dict. tit. 27. §. si quis rusticus & §. Mercator lib. 2. feudor. (b) l. 2. ff. d. t.

X I I I I.

Excipitur proinde & ille, qui salutis suæ tutandæ causa telum gerit, (a) dum peregrè proficiscitur. (b)

a) d. l. Qui dolo 10. §. vlt. ff. ad leg. Iul. de vi pub. (b) per d. l. 1. ff. d. t. & l. vlt. vbi gl. in verb. Cingulo, & Luc. Penna, & Ioan. Plat. C. de preposit. sacror. cub. lib. 12. Tiraquel. de Nobilitat. cap. 20. num. 69.

X V.

Non probamus eorum sententiam, qui existimant, viatores quidem arma ferre posse, sed ea ligata.

Per text. in dict. tit. 27. §. mercator, vers. non vt quem ledat lib. 2. feudor. Menoch. dict. casu. 394. num. 59. & seqq.

X V I.

Excipiuntur item Magistratus, & eorum officiales: (a) Tum etiam milites (b) & aulici, qui in curia principis versantur, eiusque lateri adhærent. (c)

a) l. Nam & salutem 3. §. sciendum, vbi Bald. ff. de offic. perfect. vigil. Menoch. dict. casu 394. num. 64. & duobus seq. (b) Nouel. 85. cap. 1. vers. sed neq;

DISPUTATIO DE VI

& arg. dict. tit. 27. §. ad palatium lib. 2. feudor. Menoch. dict. casu 394. n. 67. & seq. (c) d. l. ult. C. de preposit. sacr. cubic. libr. 12. Menoch. post alios dict. casu 394. num. 71.

XVII.

Quæritur, de nobilibus, & doctoribus, liceatné his etiam arma gerere? Quidam affirmant, (a) aliqui (b) negant, & licet scripto Iure Iustiniano, horum sententia videri verior possit, (c) illorum tamen opinionem vsus probat, proindeq; ea seruanda erit. (d)

a) quorum meminit Tiraquel. *Tract. de nobilitat. dict. cap. 20. numer 67. & sequent. & Menoch. dict. casu 394. num. 74.* (b) Tiraquel. *dict. cap. 20. num. 69. & seq. & Menoch. dict. casu 394. num. 75.* (c) per l. vnic. vbi Cuiac. C. vt armorum vsus lib. 11. & Nouel. 85. Tiraquel. *dict. cap. 20. ostendit num. 69. & sequentib.* (d) per Nouell. 89. cap. 15. vltim. vers. vnde etsi, quoniam & non vtendo perempta est, l. si de interp. 37. & leg. seq. ff. de l.

XVIII.

Sed & de studiosis, alijsue iuuenibus queri solet, qua ætate idonei videri debeant, qui gladios lateri adpendant? Existimamus autem septendecim, vel certè octodecim annorum ætatem esse aptam, qua iuuenis ferre arma possit, eò, quòd hac ætate adolescens in militiam recipitur, & validè contra hostem pugnare & arma tractare posse putatur. (a)

a) Aristoteles lib. 8. politic. cap. 4. Gellius libr. 10. noctium. attic. cap. 28. Petr. Crinit. *de honesta disciplina cap. 9.* Alexand. ab Alexand. libr. 1. genialog. dier. cap. 20. Liuius lib. 2. decad. 3. Peticius Bellus in tractat. de re militari, part. 1. tit. 7. Menoch. *consil. 202. num. 40. & seq.* Plutarch. item in Gracchorum vita scribit, iure Romano, id est, Tullij Regis instituto & sempiterna lege militarem ætatem definitam esse, Anno demùm decimo septimo. Facit huc l. 1. §. pueritia ff. de postulando, & §. minorem natu Instit. de adopt.

XIX.

Similiter excipitur, qui cultellum ad diffindendum panem secum portat, (a) vel arma ad occidendum Bannitum. (b)

a) Menoch. *post alios dict. casu 394. num. 72.* (b) Menoch. *ibidem num. 73. vti alios in hanc sententiam autores citat.*

Et si

XX.

Etsi verò quibusdam priuatis potestas gerendi arma facta fuerit, prodire tamen illi cum armis in Iudicij locum aliumq; publicum conuentum iure prohiberi videntur.

d. l. Qui dolo 10. in princ. vers. Item qui cum telo, ff. ad leg. Iul. de vi pub. & dict. tit. 27. §. ad palatium libr. 2. feudor. Et sentiunt ita Dd. quos refert, & sequitur Tiraquel. dict. cap. 20. num. 73.

XXI.

Porrò vsu armorum violento committit vim publicam, qui seruos, aut liberos homines in armis habet, (a) qui cum telis & armis bona rapit, vel rem raptam seruat raptori, (b) qui in incendio cum gladio aut telo rapiendi causa est, vel prohibendi dominum res suas seruare, (c) qui hominibus armatis possessorem domo agròue suo aut naui sua, deijcit, expugnat, (d) qui cum imperium potestatemue habet, ciuem Romanum aduersus prouocationem vocat, verberat, aut quid in collum iniicit, vt torqueatur: qui item Legatos, oratores, veleorum comites pulsat, (e) qui conuocatis hominibus vim facit, quò quis verberatur, & pulsatur, (f) qui ædes alienas aut villas telo expilat, effringit, expugnat (g) qui reum vincit, & vinculis impedit, quò minùs alicubi in iudicio publico adsit, (h) qui alium, cum quo de fundi possessione contendit, occidit. (i) qui denique per vim armatam de possessione rei etiam propriæ alium deijcit. (k)

a) l. 3. in princip. ff. ad leg. Iul. de vi publ. & l. vltim. Cod. ad leg. Iul. de vi publ. & priuata (b) dict. l. 3. §. in eadem causa ff. dict. tit. l. penultim. Cod. eodem tit. Menoch. dict. casu 394. num. 79. & 95. & casu 389. (c) dict. l. 3. §. sed & qui ff. eodem. (d) dict. l. 3. §. vltim. ff. dict. tit. Menoch. dict. casu 384. num. 82. sed Duaren. ad tit. ff. ad leg. Iul. de vi publ. & ad tit. l. Iul. de vi priuata cap. 1. scribit. quod hoc crimen de prouocatione & sine armis committatur. (e) l. Lege Iulia 7. ff. hoc tit. Menoch. dict. casu 394. num. 85. & 98. (f) leg. qui dolo 10. §. penultim. ff. eodem tit. (g) l. penultim. in principio ff. dict. tit. Menoch. casu 374. num. 91. (h) l. Lege Iulia 8. ff. eodem tit. Menoch. dict. casu 394. num. 86. (i) l. 6. Codic. hoc tit. Menoch. dict. casu 394. num. 93. (k) l. 7. C. hoc tit.

Sequi

XXII.

Sequitur de vi publica, quæ sine armis committitur. Sine armis committit hanc vim, qui turbæ seditio nisue faciendæ consilium inicit, (a) qui ex incêdio præter materiam, id est, sine armis aliquid rapit, (b), qui foeminam vel puerum aut quenquam alium per vim stuprat, (c) qui homines conuocat, vt quempiam alium possessorem domo, agroué suo, aut sua nauis deiciat, expugnet (d) qui cœtu, concursu, turba, seditione incendium facit, quiue hominem dolo includit, facitué, quò minus quis sepeliatur, quòue magis funus diripiatur, quiue per vim aliquem obligat, (e) qui item vacantem vel nuptam mulierem sine armis rapit, (f) vel rapit absque armis puerum ingenuum, (g) quiue dolo malo facit quò minus iudicia tuto exerceantur, aut iudices, vt oportet, iudicent; qui cum potestatem imperiumue habet, aliter quàm ius erit, decernit, imperat, facit, quiue pecuniam ab aliquo inuito polliceri publicè priuatimue per iniuriam exegerit, (h) qui noua vectigalia exercet. (i)

a) l. 3. in princ. ff. ad leg. Iul. de vi pub. Menoch. dict. casu 394. num. 78. (b) d. l. 3. §. Item tenetur ff. hoc t. (c) d. l. 3. §. præterea ff. d. t. l. mariti 29. §. vlt. & l. vim passam 39. in princ. ff. ad leg. Iul. de adulter. Menoch. dict. casu 394. n. 81. (d) l. 4. ff. eod. tit. (e) l. 5. in princ. ff. h. t. de homine incluso extat quoque textus, in l. 3. C. eod. tit. Menoch. dict. casu 394. num. 80. Vbi de incendio agit, & num. 84. Vbi de eo, qui hominem includit & n. 84. Vbi de illo, qui aliquem sepeliri vetat, aut funus diripit. (f) d. l. 5. §. vlt. ff. d. t. & l. 3. C. eodem tit. Menoch. d. casu. 394. n. 81. (g) l. & eum 6. ff. h. t. (h) leg. qui dolo malo 10. in prin. ff. eod. Menoch. dict. casu 394. num. 88. 87. 89. (i) l. vlt. ff. eod. Menoch. eod. casu num. 92. ob stare videtur lex vnic. §. item 15. ff. d. l. Iul. ambitus.

XXIII.

Huius quoque ordinis est ille, qui sciens dolo malo raptum hominem seruat raptori.

per l. penult. C. ad l. Iul. de vi pub. vel priuata, Menoch. dict. Casu 394. n. 95.

XXIIII.

Dicendum nunc de pœna vis publicæ, ea est vel vltimum supplicium, vel deportatio; vel bannum imperij, vel relegatio.

l. quoniam 6. C. ad l. Iul. de vi pub. vel priuat. l. qui dolo 10. §. vlt. ff. eod. tit. & §. item lex Iul. Instit. de pub. iudicijs.

XXV.

Vltimo afficitur supplicio, qui conuocatis hominibus armatis

tis aliquem occidit. (a) vel per vim quandam foeminam rapit. (b)

a) *l. quoniam 6. C. ad Leg. Iul. de vi pub. vel priuat. Item l. qui dolo. 10. §. pen. ff. ad leg. Iul. de vi publ.* (b) *l. 5. §. vlt. ff. d. t. l. vnic. C. de rapt. virg. & §. sin autem per vim Institut. de pub. iud. l. mariti 29. §. vltim. l. vim passam 39. in princ. ad l. Iul. de adult. sed de raptu mulieris. disputatione superiori egimus.*

XXVI.

Similiter, qui per ciuitates & agros iuxta se bucellarios, vel Isauros, id est, latrones armatos, seruos habuit, post exactam, centum librarum auri, condemnationem, capitali supplicio feriri iubetur. Magistratus quoque huiusmodi facinus, qui dissimulat, non modo dignitatis, & administrationis, cingulo priuatur, sed & post centum librarum auri solutis vitæ suæ poenam tum sustinet, tum etiam eius apparitores primarij præter amissionem fortunarum suarum, capitali supplicio feriuntur.

l. vlt. C. ad l. Iul. de vi publ. De hisce latronibus est quoq; textus in l. prouinciarum 10. C. de fer. & de illis scribit post Alciatum Francisc. Duaren. libr. 2 disput. cap. 12.

XXVII.

Autores quoque seditionis & tumultus populo aduersus magistratum concitato, ex Carolin. Constitut. quandoque pro magnitudine ex qualitate criminis gladio feriuntur, interdum verò virgis cæsi de prouincia vel ciuitate, vel pago pelluntur.

Weinliche Halsgerichtsordnung / Keiser Carls des 5. articul. 127. Cui propemodum consonat l. 1. & 2. C. de seditiosis & l. si quis aliquid 38. §. autores ff. de poenis. De seditiosorum poena agit quoq; Nicol. Boer. tract. de seditiosis cap. 7. n. 28.

XXVIII.

Hi item, qui ædes alienas, aut villas expilauerunt, effregerunt, expugnarunt, siquidem in turba cum telo fecerint, capite puniuntur.

l. penultim. ff. ad l. Iul. de vi pub. Nicol. Boer. dict. tract. de seditiosis cap. 7. num. 29.

XXIX.

Sic & incendiarij non tantum Iustiniano, (a) sed & Carolino supplicio afficiuntur vltimo, & quidem igne comburuntur, quandoq; verò eodem Iustiniano iure pro qualitate delicti, & personæ conditione deportantur. (b)

Qq

a) l.

a) *l. capitalium 28. §. incendiarij ff. de poenis & qui ades 9 ff. de incend. ruin. nauis. Peinliche Halsgerichtsordnung/articul 125. (b) l. vlt. §. 1. ff. de incend. ruin. nauis.*

XXX.

Viles item infamesque personæ, & hi qui bis aut sæpiùs violentiam perpetrasse conuincuntur, capitis pœna plectuntur.

l. seruos 8. in princip. C. ad l. Iul. de vi pub. Iul. Paul. lib. 5. sentent. tit. 26. in fin. princip. & ibi Cuiac.

XXXI.

Quod attinet deportationis pœnam ea ex lege Iulia de vi publica in omnes huius criminis reos conuertitur, qui ex certis causis capitali pœna non plectuntur.

l. Qui dolo 10 §. vlt. ff. ad l. Iul. de vi pub. & §. Item lex Iulia de vi pub. l. quoniam 6. ibi, aut deportatione in sulæ & l. seq. in fine C. ad l. Iul. de vi pub. vel priuata Cuiac. ad Iul. Paul. lib. 5. sententiar. tit. 26. in fine princ.

XXXII.

Ex nouis tamen imperialibus constitutionibus, qui pacem publicam conuocatis, & coadunatis armatis hominibus multis, (a) dolo malo violauit, in bannum imperij damnatur, & declaratur. Wirdt in Römischer Keiserlicher Matest. vnd des heiligen Reichs Acht gesprochen / vnd erklärt. Ita vt ab omnibus in persona, & rebus impunè offendi possit. (b)

a) Triapotissimum requiruntur, vt ob pacem violatam in bannum declarari quis possit. Primò vis publ. Secundo vis armata, qua fit conuocatis & coadunatis hominibus, & quidem multis non vno atq; altero. Tertio dolo malo, & destinata voluntas offendendi. And. Geil. lib. 1. de pace pub. cap. 7. (b) Reichsabschied zu Worms de anno 1495. pag. 25. tit. die Peen der Friedbrecher. Reichsabschied zu Augspurg de anno 1500. pag. 46. fac. 2. tit. von der Peen der vberfahrer / diser Ordnung. Reichsabschied zu Worms de anno 1521. pag. 133. fac. 2. & pag. seq. tit. die Peen alle Friedbrecher Reichsabschied zu Augspurg de anno 1548. pag. 44. fac. 2. in fine & de anno 1555. pag. 158. And. Geil lib. 2. de pace pub. cap. 1. & seq. Suard. ad l. 3. num. 2. C. de pignor. & hypot.

XXXIII.

Relegationis autem pœna, (vt & suprâ attigimus) interdum conuertitur in eos, qui seditionem, & tumultum aduersus magistratum dolosè concitarunt.

Peinliche Halsgerichtsordnung d. t. 127.

Quamuis

XXXIV.

Quamuis autem olim etiam amissione bonorum multabantur rei huius criminis (a) attamen Nouell. const. reorum bona confiscari vetat, si supersint liberi, vel parentes, usque ad tertium gradum. (b)

a) d. l. si quis 7. in fine C. ad l. Iul. de vi pub. & l. in princ. ff. de bonis damnatorum (b) Nouell. 134 cap. vltim. Authentica, Bona damnatorum, C. de bonis proscriptorum, sed vide Nic. Boer. tract. de seditiosis cap. vlt. num. 30.

XXXV.

Quòd si ex moribus alicubi, bona reorum criminis huius publicentur, quæstionis est, an & castrense & aduentitium peculium filij familias hac de vi damnati, in publicationem veniant? Autoritas iuris id negare nos iubet, etiamsi pater in aduentitio peculio usum fructum non habeat.

l. 3. C. de bonis damnatorum & l. pen. C. Qui testament. facere poss. Vide Fachin. lib. 9, controuersiar. cap. 47. & num. seq.

XXXVI.

Est & illud hîc monendum, quod iudex graui infamia notandus est, si violentiæ crimen apud se probatum distulerit, seu omiserit, vel impunitate donauerit, aut in meliorem, quam leges prostituerunt pœnam protulerit.

l. seruos 8. §. vlt. C. ad l. Iul. de vi pub. vel priuata. Vide Tiraquel. tract. de pœnis temperandis aut remittendis in præfatione n. 1. & seq. vbi longo stylo & pleno calamo hanc examinat quæstionem, an iudex remittere, aut minuere possit pœnam lege vel consuetudine definitam & receptam.

XXXVII.

Sequitur de vi priuata. Vis priuata est delictum publicum (a) quo quis inermis (b) per vim (c) securitatem priuatam (d) violat.

a) l. 1. ff. d. pub. iudic. (b) & l. si quis 5. ff. ad l. Iul. de vi priuat. §. qui autem aliquem vers. sed de vi priuata instit. de interd. §. item l. Iulia instit. de publ. iudicijs. Iodoc. Damhoud. in praxi sua criminali cap. 10. numer. 1. Gomez. Tomo 3. cap. 4. vers. aliquando, & secundo. Clarus libr. 5. §. finali quæst. 83. numer. 5. (c) l. 1. in principio ibi, vi priuata, & §. 1. ibi de vi priuata, l. 2. ibi vim fecerit, l. 3. ibi, ad vim l. 4. ibi, de vi priuata l. 5. & l. 6. ff. ad leg. Iuliam de vi priuata (d) vt arguit l. 4. in principio & §. 1. & l. 6. ff. ad l. Iul. de vi priuat.

Q 9 2 l. 1.

l. 1. l. 5. C. ad l. Iul. de vi pub. vel priuat. Hoc igitur membrum addimus ad differentiam vis publ. qua & ipsa quandoq. ab inermi infertur.

XX XVIII.

In hac vi spectamus tum modum, quo ea committitur, tum poenam rei huius criminis.

XX XIX.

Modus inferendi hanc vim multiplex est, ut si quis ex naufragio dolo malo quid rapuerit, (a) si conuocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberetur, pulsetur, neque homo occisus erit, (b) nec interest, liberos, seruos, suos an alienos, quis ad vim faciendam conuocauerit. (c)

a) *l. 1. § 1. ff. ad l. Iul. de vi priuat. Menoch. libr. 2. de arb. indic. Cent. 5. casu 394. num. 99.* (b) *l. 2. ff. h. tit. & l. 4. C. ad l. Iul. de vi pub. vel priuat. Menoch. dict. casu 394. num. 100. Sed obstare videtur l. qui dolo 10. §. penultim. ff. ad l. Iul. de vi publ.* (c) *l. 3. ff. ad leg. Iul. de vi priuata.*

XL.

Committitur item haec vis, cum aliquis per iniuriam ex bonis alienis sine conuocatis hominibus, item absque pulsatione quid rapit, (a) tum etiam, si quis coetum & concursum fecerit, quo minus aliquis in ius produceretur, aut quaestionem de alterius seruo habuerit. (b)

a) *d. l. 3. §. vltim. ff. d. t. & l. 4. in princip. C. ad l. Iul. de vi publ. vel priuat.* (b) *l. 4. ff. ad l. Iul. de vi priuat.*

XLI.

Haec quoque vis confertur in aliquem, cum quis alium ex suo agro hominibus congregatis sine armis deiecit, (a) vel sine iudicis autoritate res debitoris per vim occupat, (b) etiam ingrediendo in possessionem fundi. (c)

a) *l. 5. l. pen. ff. ad l. Iul. de vi priuat.* (b) *l. pen. & l. vlt. ff. d. tit. l. extat 13. ff. quod metus causa* (c) *l. in possessionem 5. C. ad l. Iul. de vi pub. vel priuat.*

XLII.

Similiter crimen hoc committunt, qui improbe coeunt in alienam litem, ut quicquid ex condemnatione in rem ipsius redactum fuerit, inter eos communicetur.

l. ex senat. conf. 6. ff. ad l. Iul. de vi priuat. Menoch. dict. casu 394. n. 104.

De

X L I I I .

Denique hæc infertur vis, cum aliquis ob debitum viri, vel civile munus, res vxoris pignori capit.

l. 1. C. ad l. Iul. de vi pub. vel priuat. Menoch. d. casu 394. n. vlt.

X L I I I I .

Succedit pœna rei huius criminis, ea autem iure scripto est relegatio, (a) & amissio tertiæ partis bonorum, (b) tum etiam infamia. (c)

a) *l. quoniam ibi, & non iam relegatione, vbi, gl. C. ad l. Iul. de vi publ. vel priuat. & ibi Cuiac. in paratit. Iul. Paul. lib. 5. sentent. tit. 26. §. l. Iulia de vi priuat. in fine, & ibidem Cuiac.* (b) *l. 1. in princip. & l. vlt. ff. ad l. Iul. de vi priuat. l. 2. Cod. ad l. Iul. de vi pub. vel priuat. S. item l. Iul. Instit. de pub. iudic. Iul. Paul. dict. lib. 5. sent. tit. 26. §. l. Iul. de vi priuat. in fine* (c) *d. l. 1. in princ. & l. vlt. ff. ad l. Iul. de vi priu. Iodoc. Damhoud. in praxi criminali cap. 100. num. 8.*

X L V .

Sed nunquid etiam verus usufructuarius hoc de crimine damnatus, tertiam partem sui usufructus amittat? & magis est, ut dicamus, perceptione vsus fructus pro parte tertia eum mulctari, eamque partem non proprietario, sed fisco cedere, quàm diu usufructuarius viuit.

arg. l. si postulauerit 27. §. iubet lex ff. ad l. Iul. de adulter. atq; ita post Bartol. & alios, quos refert Anton. Gomez. in commentar. variarum resolut. iuris, tome 2. cap. 15. num. 18. vide quoque Fachin. lib. 9. controuersiarum cap. 50.

X L V I .

Qui tamen ex naufragijs aliquid diripuerunt, etiam ex constitutionibus extra ordinem iudicis arbitrio, seuerissimè puniuntur.

l. 1. §. vlt. ff. ad l. Iul. de vi priuata, l. 4. §. 1. ff. de incendiarijs, ruin. nauf. & l. de submersis §. C. de nauf.

X L V I I .

Volunt etiam doctores nostri, (a) & publicam & priuatam vim hodie iudicis arbitrio coerceri.

a) *quos recenset Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. Cent. 4. casu 394. n. 1.*

X L V I I I .

Hinc quæri potest, an criminis pœna iudicis arbitrio, relicta, etiam ad mortem ab ipso extendi queat? Id quod nos, si grauitas criminis hoc desideret, omninò putamus.

Tum per l. lex Iulia 7. §. vlt. ff. de lege Iulia repetundarum & l. 1. C. de his

qui latrones vel alijs crim. reos occult. l. 1. ff. de rectoribus Tuml. 1. §. 1. vers. quibus
nulla ff. de effractoribus, l. perspicendum 11. in princip. & l. hodie 13. ff. de pœnis, Tùm
eit aml. 3. C. ex quibus causis infamia irrogatur, Tùm deniq; l. non omnes 5. in prin.
& §. 1. & sequent. ff. de remilitari & l. pedius 4. §. 1. in fin. ff. de incend. ruin.
naufrag. de hac questione vide quoque latè differentem Maran. disp. 3. Anton.
Gomez. in Commentar. variar. resolut. Tomo 3. cap. 6. num. 8. Iul. Clarus in lib. 5.
sentent. §. finali num. 11.

Additamenta.

I.

PROcurator in causa fractæ pacis admittitur.

Per text. in ordinat. Cam. part. 1. tit. 25. Geil. libr. 1. de pace pub. cap.
10. num. 8.

II.

In eadem causa iudicium non à captura rei, sed ab eius citatio-
ne inchoatur, etiam si factum sit notorium.

Geil. dict. lib. 1. cap. 9. n. 6.

III.

Personæ etiam Ecclesiasticæ immediatè Imperio subiectæ in
causa fractæ pacis accusationem instituere & conuenire possunt.

Per ordinat. Camera part. 2. tit. 5. & tit. 9. vers. wir wollen auch Geil. dict.
lib. 1. cap. 8. num. 7. & seq.

IIII.

Reconuentio in hac causa non admittitur auctore contra eam
excipiente.

Geil. dict. lib. 1. cap. 12. n. 4. 7. 9. 10. 13. & 14.

V.

In eadem causa & ante, & post sententiam transactio permessa
est, salvo tamen iure fisci.

Ordinat. Camer. part. 2. tit. 18. Mynsinger. cent. 2. obseruat. 79. & Andr.
Geil. lib. 1. de pace public. cap. 11. n. 16.

VI.

Exceptiones peremptoriæ in causa fractæ pacis litis conte-
sta-

stationem non impediunt, cum principale negotium respiciant.

Ordinat. Camer. part. 3. tit. 27. §. 1. Geil. dict. libr. 1. cap. 11. num. 9. & 10.

V I I.

Vnde exceptiones, quibus negat reus fractam à se pacem, post coeptum litis contestatione iudicium, proponi debent: quæ si probentur, reus à citatione absoluitur, cum refusione expensarum.

Minsinger. cent. 2. obs. 27. & cent. 3. obseru. 98.

V I I I.

Qui agit ex constitutione fractæ pacis & factum ipsum, & facti qualitatem probare debet, manum scilicet armatam, vim publicam, & dolum ex proposito.

Andr. Geil. dict. libr. 1. cap. 12.

I X.

Sufficit autem probatio soliùs conatus; quippe cum ex constitutione fractæ pacis tam conatus, quam effectus puniatur.

Ordinat. Camera. part. 2. tit. 9. §. 5. So iemaands / ibi / oder zu handlen vnderstehn würden. Geil. dict. libr. 1. cap. 14.

X.

Et qui seorsim ex constitutione fractæ pacis ad damnum vel spoliū agit, non minùs qualitates fractæ pacis probare tenetur, quàm si ad pœnas ageret.

Minsinger. cent. 2. obser. 29.

X I.

In causa fractæ pacis articuli in contumaciam non respondentis pro confessis acceptari non debent.

Andr. Geil. dict. libr. 1. cap. 15. n. 3. & seqq.

X I I.

Excusatur autem reus à pœna fractæ pacis, qui hostem suum diffidatum in alieno territorio vi armata cepit.

Minsinger. cent. 2. obser. 28.

Pœna

XIII.

Pœna fractæ pacis publicæ non tantum est corporalis, veluti bannum, per quod reus bona & corpus perdit, sed est quoque pecuniaria, 200. marcarum auri puri, & amissio priuilegiorum à Cæsare indultorum. In arbitrio autem actoris est, vel vnam pœnam eligere, vel omnes coniungere. Et si vtraque petita sit pœna, mortuo reo, corporalis pœna in heredes non conuertitur.

Minsinger. cent. 5. obseru. 78.

XIIII.

Et licet ad pœnam corporalem sit actum, ea tamen ex iusta causa in pecuniariam mutari potest.

Minsinger. cent. 2. obseru. 30.

FINIS DISPUTATIONIS
DECIMÆ TERTIÆ.

Ka 3071

(3/4)

ULB Halle
003 261 573

3



sb

Blind. 3/1.



Disputatio XIII.

DE VI PVBBLICA ET
priuata,

D. T. E. U. F.

P R A E S I D E,

CLARISSIMO,
ET CONSULTISSIMO VIRO,
DN. HENRICO BOCERO, V. I. D.*eminentissimo, & in illustri Academia Tubingensi Professore
celeberrimo, Domino Praeceptore suo
honorando;*ORDINARII EXERCITII GRATIA,
tempore, locoq; solitis, pro ingenij tenuitate de-
fendere conabiturBALTHASAR A FRANCKENBERGK,
Silesius.TUBINGA,
Typis Georgij Gruppenbachij,

M. D. XCVIII.

Pp

